

Littere Ferdinandi Romanorum etc regis ad Sigis-
mundum Augustum Regem Poloniae, quibus ei gra-
tias agit, quod ab armis ad pacis studia animum re-
vocarit, ac foedus cum magistro Livoniae inierit. Dat.
Viennae ij 15 Octobris anno 1557. Ex Archivo Regni

108

Ferdinandus Divina favente clementia Romanorum rex sem-
per Augustus, ac Germania Hungaria Bohemia Dalmatia
Croatia etc rex, infans Hispaniarum et archidux Austriae
Dux Burgundiae etc marchio Moraviae etc comes Tyrolis
etc serenissimo principi domino Sigismundo Augusto regi
Poloniae magno duci Lithvaniae Russiae Prussiae Masoviae
tamogitiae etc domino ac heredi, filio, et consanguineo no-
stro charissimo salutem et paterni amoris omniumq; felicitate
continuum ac perpetuum incrementum. Serenissime
princeps, fili, et consanguine noster charissime. His diebus ab
internunciis et commissariis, quos isthuc habemus, certiores
facti sumus, serenitatem vestram paternis et benevolis no-
stris et ordinum sacri Romani imperii consiliis admixtis
cum venerabili magistro Ordinis Theutonici in Livonia
eiusdemq; statibus et Ordinibus pacem, et foedus percussisse,
sedatasq; esse eas controversias, quae utrinque graviter susceptae
fuerant, sane quam pro eis, ac debuimus, eiusmodi nuntium
lato animo accepimus existimavimusq; eam letitiam uni-
versae reipublice Christianae communem esse. Etenim si
haec discordia vixisset, facile ab initio perspiciebamus, in
genere aliquod ex iis malum reliquis populis Christianis
impendere, his praesertim afflictis perturbatisq; temporibus,
in quibus res Christiana internis et externis inimicitiis ac
motibus debilitata laborat, sed quando Divina voluntate
et serenitatis vestrae prudentia, pietate et moderatione
factum est, ut serenitas vestra nostra et ordinum impe-
rii auctoritatis atq; intercessionis respectu habito, privatae
rationes secus publicae utilitati postponeret, merito ea de
re Deo Optimo maximo ingentes gratias agimus, serenitate
q; vestram summis laudibus efferimus, quod ab armis et
odio exercendo, ad pacis et concordiae studia animum revo-
carit, et eam curam, cogitationemq; suscepit, qua et lauda-
tissimo ejus ingenio erat dignissima, et reipublice Christia-
na

no valde salutaris. Nos certe, quos paterna in serenitatem
Vestram benevolentia et reipublice solus semper sollicitavit.
Serenitati vestrae tanquam filio charissimo ex animo gratula-
mur, atq; adeo, et magnas agimus gratias quod paternis et
benevolis nostris, et sacri imperii ordinum hortationibus lo-
cum Dederit, neq; permiserit, ut ea in re frustra quidquam
laborasse videremur, quanquam nunquam nos ea spes fefel-
lerit, quam semel de Serenitate Vestra in nos animo conce-
pimus. Reliquum illud est, ut serenitas vestra vicissim quoq;
a nobis ea officia omnia expectet, quae a patre amantissimo,
filio optimo et de illo proclare merito expectanda sunt. Se-
renitatem Vestram optime valere optamus. Datum in Ci-
uitate nostra Vienna die Decima quinta mensis Octobris
anno Domini MDL VII. Regnorum nostrorum Romanarum
XXVII aliorum vero XXXI.

Ferdinandus.

J. Jonas. D. cancellarius

M. Singlmoser